

7. * De diaboli manu non evaditur, nisi citius ad penitentiam recurratur. *Greg. 4. moral.*

8. * Diabolus primò opera nostra, deinde verba, et tandem cogitationes accusat. *Greg. 2. moral.*

9. * Quum diabolus mala quæ accuset non invenit, ad malum ipsa bona flectere quærit. *Ibidem.*

10. * Diabolus à facie Domini exiit, quia tentationis potestatem accipiens ad malitiæ suæ vota pervenit. *Ibidem.*

11. * Diabolus acrius insurgit, quando disciplinæ custodes ventri servire cognoscit. *Greg. 3. moral.*

12. * Diabolus non solum per seipsum, sed et per eos qui nobiscum sunt nos tentat. *Greg. 4. moral.*

13. * Diabolus, quo valentius vincitur, ei adhuc ad insidias ardentius insligatur. *Ibidem.*

14. Dæmonum est, mala suggerere: nostrum est, non consentire. Quoties e's resistimus, toties eos superamus, angelos glorificamus, Deum honoramus, qui visitat, ut pugnemus: adjuvat, ut vincamus: consolidat, ne deliciamus. *Bern. in serm.*

15. * Diabolus quum servos Dei tentat, etiam utilitat. servit, quum eos per tentationes suas non decipit. *Bern. ad soror.*

16. * Invidet diabolus humano generi: volens illud habere subjectum, quia prævidet hominem futurum. *Bern. in serm. 48.*

17. * Hostes indefessi nos asidue oppugnant, modo aperte, modo fraudulentè, quos ne videre quidem possimus, quanto minus cavere. *Bern. in Evang. 7. p.*

18. In primis gravis et insuperabilis est impetus diaboli: quod si quis fortè animo sustinuerit eum, in secundo inveniet eum infirmiore. Quanto enim plus percussus fuerit, magis refrigescit et deficit. *Chrys. super Matth.*

19. Dæmones triplici acumine præscientiæ vigent, scilicet subtilitate naturæ, experientia temporum, revelatione superiorum potestatum. *Isid. l. 4. de sum. bo.*

20. Quanto propinquius finem mundi diabolus videt: tanto crudelius persecutiones exercet: ut qui se

continuo damnandum conspicit, sibi socios multiplicet, cum quibus gehennæ ignibus addicatur. *Isid. ibid.*

21. Diabolus quando decipere quemquam quærit, prius naturam uniuscujusque intendit, et inde applicat, unde aptum hominem ad peccandum inspexerit. *Isid. lib. 3. de sum. bon.*

22. Diabolus serpens est lubricus, cujus si capili, id est, primæ suggestioni non resistitur, totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur. *Isid. ubi supra.*

23. Contra eum, quem possidet diabolus, acrius sævit, quando se divina virtute ab eo expellendum cognoscit. *Isid. ibid.*

24. Lata et spatiosa itinera vitæ lætalis, illic illecebriæ, et mortiferæ voluptates: illic diabolus blanditur, ut fallat: arridet, ut noceat: allicit, ut occidat. *Cyrian. in quadam epist.*

25. Diabolus mali auctor, nequitie origo, rerum hasis, corruptor sæculi: hominis semper inimicus, ille laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia addit amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, humana violat, divina tentat. *Pet. Rav. tractans ill. Matth. 2. Ductus est Jesus, etc.*

26. Diabolus semper primordia bona pulsat, capital rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciens quod ea subvertere fundata non possit. *Pet. Rav. ibid.*

Vide etiam in lit. Antichristus, núm. 1, 2, 3, 17. in lit. Cor, núm. 1. in lit. Error, núm. 8. in lit. Fraus, núm. 3, 8. in lit. Homicidium, núm. 2. in lit. Mendacium, núm. 12. in lit. Mors, núm. 1, 3. in lit. Peccatum, núm. 1. 14. in lit. Pœnitentia, núm. 22. et in lit. Tentatio per totum.

DILECTIO.

1. Illi Deum diligunt, qui non aliud, quam unde

nomen ejus glorificent, exercent. *Aug. de vita Christ.*

2. Breve præceptum tibi præcipitur, dilige, et fac, quod vis: sive laceas, dilectione laceas: sive clames, dilectione clames: sive emendes, dilectione emendes: sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum exire. *Aug. de laude charitatis.*

3. Dilectio sola discernit inter filios Dei et filios diaboli. Signent se omnes signo crucis, respondeant omnes amen, cantent omnes alleluja, baptizentur omnes, intrent ecclesias, impleant parietes basilicarum, non discernuntur filii Dei à filiis diaboli, nisi charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo: qui non habent charitatem, non sunt ex Deo. Magnum indicium, magna discretio, quicquid vis habere, hoc solum nisi habeas, nihil tibi prodest: alia si non habeas, hoc habe et implesti legem. *Aug. ibid. super illud 1. Joan. In hoc manifesti sunt filii Dei, etc.*

4. Miser ego, quantum deberem diligere Deum meum, qui me fecit, quum non eram: redemit quum perieram. Non enim eram, et de nihilo me fecit, non lapidem, non arborem, non aliquod de animalibus, sed hominem voluit me esse: dedit mihi vivere, sentire, discernere, reduxit me de exilio, redemit de servitio, vocabit me nomine suo: ut memoriale suum semper esset apud me. Unxit me oleo lætitiæ, quo ipse erat unctus, ut ab uncto essem unctus: et à Christo dicerer Christianus. *August. de spiritu et anima.*

5. Non habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea incaute, et non cum ratione ambuletur. *Aug. in epist.*

6. Quantum Deum diligas, debes ex dilectione legis ejus ostendere. *Aug. de S. spiritus litera.*

7. Omnes homines æque diligendi sunt: sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi, quasi

quadam sorte, junguntur. *Aug. l. 1. de doctrina christ.*

8. Primo diligendus est Deus, secundo parentes, inde filii, post domestici: qui etiam si boni sint, malis filiis præponendi sunt. Inimicos autem non sicut leipsu, sed simpliciter: sufficit enim quod odio non habeas. *Glo. Aug. super illud Cant. 2. Ordinaravit. etc.*

9. Dilige et fac quicquid voles, nihil tam facile bonæ voluntati, quam ipsa sibi: et hoc sufficit Deo. *Aug. de ver. Dom.*

10. Vere diligit, qui sine tristitia, sine timore, voluntario potius studio, quam coacto præcepta conservat. *Ambr. super Beati immaculati.*

11. Dilectionem firmi Christiani nulla vincunt tormenta. Amantis enim plus incitatur charitas, si eum, cujus sensit beneficia, prohibeatur amare. *Ambr. de Trin. l. 5.*

12. Pro magno diligi non debet, quicquid sine concluditur: illa appetenda, illa summopere diligenda, quæ nec inventa transeunt, nec adepta deficient. *Greg. in registr.*

13. Nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis, nihil desiderabilius diabolo extinctione charitatis. *Greg. in pastoral.*

14. Inimici dilectio tunc veraciter custoditur, quum non de profectu dejicimur, nec de ruina ejus lælatur: nemo enim amat aliquem, quem non vult esse meliorem: et eum stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur. *Greg. 21. moral.*

15. Quando ignorabam, me instruxit: quando errabam, me reduxit: quando peccabam, me correxit: quando steti, me tenuit: quando cecidi, me erexit: quando ivi, me duxit: quando veni ad ipsum, me suscepit: Nec pro his omnibus, quid rependam habeo, nisi tantum ut diligam. Non enim melius nec decentius, quam per dilectionem rependi potest quod per dilectionem datum est. *Bern. super, illud Psal. Quid retribuam dom. etc.*

16. Non abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec

injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. *Bern. super cant.*

17. Ordinem dilectionis illi pervertunt, nec modum diligendi cusodiunt, qui aut mundum, qui contemnendus est, diligunt: aut corpora sua minus diligenda plus diligunt, aut proximos suos non sicut seipsos, aut Deum plus quam seipsos forte non diligunt. *Prosp. lib. 4. de vita contemplativa.*

18. Dilectio Dei est omnia commoda et incommoda postponere causa perfruendi Deo. Dilectio proximi est privata commoda postponere causa perfruendi amico. *Hug. de substantia dilect.*

19. Necesse est, ut quo præcesserit dilectionis thesaurus, illuc etiam cogitationis sequatur affectus: ideò veritas ait: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi et cor tuum erit:* ut ergo in cælis thesaurizemus, cælestia diligamus. Vis nosse ubi thesaurizas? attende quid cogitas: ita fiet, ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, et amorem tuum iudicio tuæ cogitationis intelligas. *Fulgentius in quodam serm.*

20. Diligere, quasi de omnibus eligere. Ignis est claritas Dei, virtutum progressionibus crescens, quæ quanto magis concupiscitur, tanto efficacius ampliat. *Cass. super Psal. diligam te Dom. etc.*

21. Inaudita est dilectio, quæ amicum diligit, et præsentiam ejus non amat. *Ibidem.*

22. Cum humanæ conditionis status multiplici motu varietur, nihil in temporalibus invenio præter unum, quod vitæ cælestis imaginem representet. Sola dilectio est, quam non alterat casualis eventus, quam separatio corporalis non dividit, quam temporis longitudo non abolet, quæ defectui non succumbit. Sola dilectio est, per quam amicos absentes videmus, alloquimur, amplexamur, quæ sic quadam angelica agilitate et imaginario comæatu transvolat et recurrit, ut nihil de damno corporeæ molis aut distantiae localis injuria conqueramur. *Pet. Rav. in epist.*

23. Fortis est dilectio ut mors, cum enim conpagem membrorum, animæque et corporis fœdus ami-

cabile mors abrumperet, dilectio econtrario diversas voluntates constat in unam, et in glutino charitatis diversarum animarum consolidat unionem. *Ibidem.*

24. Dilectio absentiae damna non sentit: cumque diuturnitate temporum plerumque solet infirmari dilectio: et temporis tractu et locali distantia convalescit. *Ibidem.*

25. Nihil est quod non toleret qui perfecte diligit. *Senec. in prov.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, nûm. 1. in tit. Amicitia, nûm. 34. in tit. Amor, Caritas, nûm. 14, 13. in tit. Correctio, nûm. 3, 4. in tit. Crux, nûm. 8. in tit. Deus, nûm. 24. in tit. Discordia, nûm. 11. in tit. Misericordia, nûm. 1, 6. in tit. Perfectio, nûm. 1, 2. in tit. Proximus et Prosperitas, nûm. 12. in tit. Sanctitas, nûm. 2. in tit. Virtus, nûm. 1.

DISCERE.

1. Ad discendum quod opus est, nulla ætas sera videri potest: quod et si senes magis decet docere quam discere, magis tamen decet discere, quam ignorare. *Aug. in epist. ad Hier.*

2. Ab omnibus libenter discere quod nescis: quia humilitas tibi commune facere potest, quod natura fecit commune. *Ibidem.*

3. Naturæ ordo sic se habet, ut quum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas. *August. de Morib. eccles.*

4. Nihil prodest facienda didicisse, et non facere. Melius est nescire aliquid quam cum periculo discere. *Hier. in epist.*

5. Optabile est et mihi præclarum usque ad ultimum discere senectutem, quoniam nulla ætas ad perdiscendum sufficere potest. Docere verò alios, affectare eum, qui non sufficienter instructus est, res mihi videtur antiqui proverbii: In dolio discere artem figuli: hoc est: in periculo animarum, doctrinam discere pietatis. *Greg. Nazian. in apolog.*

6. Sapiens quidam, cum de modo, et forma discendi interrogaretur: Mens, inquit, humilis, studium quærendi, vita quieta, scrutinium tacitum, paupertas, terra remota, hæc reserare solent nullis obscura legendo. Audierat pulo quod dictum est, mores ornant scientiam, et ideo præceptis legendi propterea quoque vivendi adjungit: ut et modum vitæ suæ et studii sui rationem lector agnoscat. Illaudabilis enim est scientia, quam vita maculat impudica: et idcirco summopere cavendum est ei qui quærit scientiam, ut non negligat disciplinam. *Hug. lib. 5. didascalicon.*

7. Multos hoc decipit, quod ante tempus sapientes videri volunt: ut jam et simulare incipiant, quod non sunt, et quæ sunt, erubescere: et eo longius à sapientia recedunt, quo non esse sapientes se putari putant. Sed si magnorum et sapientium vel scripta audierunt, vel verba: nos inquit, vidimus illos, et nos ab illis legimus: sæpe nobis loqui illi solebant. Illi summi, illi famosi, cognoverunt nos, sed ut me nemo agnoscat, et ego cuncta noverim. *Ibidem.*

8. Ab omnibus libenter discere, quod tu nescis: quia humilitas commune tibi facere potest, quod natura cuique proprium fecit. Sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores sunt. Audi Chrysippum in proverbii: Quod tu non nosti, fortassis novit asellus. *Hug. ibid.*

9. Qui enim diligenter inspicere velit, quid antiqui propter amorem sapientiæ pertulerint, quam memoranda posteris virtutis suæ monimenta reliquerint, quamlibet suam diligentiam inferiorem esse videbit. Alii calcabant honores: alii projecerunt divitias: alii acceptis injuriis gaudebant: alii pœnas spreverunt: alii contubernia hominum deserentes, ullimos recessus et secreta eremi penetrantes, se soli philosophiæ dedicabant: ut quantum mente et intelligentia à cæteris differrent ipsa locorum distantia demonstraret: ne una teneret habitatio, quos non eadem sociabat intentio. Cuidam philosopho referebat quidam dicens: Numquid

non vides quod te derident homines? et ille, Ipsi me, inquit, derident, et eos asini. Cogita, si potes, quanti æstimaverit laudari ab iis, à quibus nec vituperari timuit. *Ibidem.*

10. Quid est quod ex tanta turba discendum, quorum multi et ingenio pollent et exercitio vigent, tam pauci inveniantur, quibus ad scientiam pervenire contingat? Sciendum est quod in quolibet negotio duo sunt necessaria: opus videlicet et ratio operis: quæ ita sibi annexa sunt, ut alterum sine altero aut inutile sit, aut minus efficax. Verumtamen melior, ut dicitur, prudentia est fortitudine: quia et apponenda aliquando quæ viribus movere non possumus, arte levamus. Sic nimirum est in omni studio, qui sine ordine et discretionem operatur: laborat quidem, sed non perficit: et quasi aerem verberans vires inventum fundit. Aspice duos pariter sylvam transeuntes: et hunc quidem per devia laborantem, illum vero recti itineris compendia eligentem: pari motu cursum tendunt, sed non equæ perveniunt. Quid autem scripturam dixerim nisi sylvam? Cujus sententias quasi fructus quosdam dulcissimos legendo carpinus, tractando ruminamus. Quid ergo in tanta multitudine librorum discendi ac legendi ordinem non custodit, quasi in densitate saltus oberrans, tramitem recti itineris perdit: et ut dicitur, semper discentes, et nunquam ad scientiam pervenientes. Tantum enim valet discretio, ut sine ipsa et omne ocium turpesit, et labor inutilis. *Hug. ibid. lib. 5.*

11. Proximus cognitioni est, qui, quid debeat inquirere, prudenter agnoscit. Maxima enim pars intelligentiæ est, scire, quod nescias. *In collat. Isaac. secunda.*

12. Nunquam ad rationem veritatis intrabit, quisquis à discussione cœperit erudiri. *In collatione Nestoris abbat.*

13. Tria sunt, ut ait Alexander, quæ impediunt hominem apprehendere veritatem rei: scilicet amor altitudinis, subtilitas ac profunditas rei investigandæ,

et ignorantiae inquisitoris, sive brevitatis potentiae suae in apprehendendo. In nostro autem tempore est causa quarta, quam non numeravit Alexander, quia non erat in tempore suo, et haec societas nutritiva, quoniam in natura hominis est amor sequendi illum, cum quo habet societatem, et diligere ea, in quibus nutritus est, adeo quod videbis habitatores villarum, licet sint ibi in sordibus et in defecta defecta ionum, et in malitia ciborum, ut odiant habitationem civitatum, nec delectantur in delitiis earum, et eligunt potius ea, in quibus nutriti sunt, quam ea in quibus non sunt, licet sint meliora. Simile contingit homini in scientiis et opinionibus, in quibus nutritus est ab infantia sua, quoniam diligit illas et confirmat rationes earum, et anxietur in contrariis et ideo propter istam causam deficit intellectus hominis in apprehensione veritatis: et sequitur ea, in quibus nutritus est: et tunc renovabitur in eo dominatio cogitationum similium, et sequetur defectuum, et malitia morum, id accidit propter societatem, et nutrituram cum illis, quorum opinio confirmatur in eo. *Rab. Moyses lib. 1. c. 30.*

14. Interdum expedit patriam negligere, ut sapientiam quis possit acquirere. Uyses Ithacus nisi hoc fecisset, laboribus propriis foret latuisset, cujus sapientiam hinc maxime Homeri nobile carmen asseruit: dum illi prudentiores sunt semper habiti, qui multorum hominum conversationibus probantur eruditi. *Cass. lib. 3. epist.*

15. Desiderabilis est literarum eruditio quae naturam laudabilem eximie reddit ornatam. Ibi enim prudens invenit, unde sapientior fiat: ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur: inde princeps accipit quomodo populos sub aequalitate componat: nec aequa in mundo potest esse fortuna, quam literarum non auzeat gloriosa notitia. *Cass. lib. 3.*

16. Hic enim decorum est, terminum non habere, hic honesta probatur ambitio, cujus etiam et nimietas placet: omne siquidem scientificum quanto profundius quaeritur, tanto gloriosius invenitur. *Cass. lib. 2.*

17. Quaerat eruditus unde possit esse gloriosus: prudens frequentiam non respual hominum, quos novit esse laudandos, alioquin fama tollitur virtutum, si earum merita in hominibus nesciantur. Nam quale desiderium est civium frequentiam deserere, cum aliquas quoque avium conversationi humanae videamus se velie miscere? *Cass. in quadam epist. lib. 1.*

18. Quod in juventute non discitur, in maturna aetate nescitur. Ars enim bellandi si non praeluditur, quam saecris necessaria, non habetur. *Cass. ibid.*

19. Aegre namque dediscitur, quod didicit aetas tenerior: quia: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu. Ibidem.*

20. Nihil tam incredibile, quod non discendo fiat probabile. *Ibidem.*

21. Lectio certa prodest, vera delectat. Qui quo destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per nullas angetur: non ire istud, sed errare est. *Sen. epist. 43.*

22. Mutuo ista fiunt: et homines dum docent discunt: non est quod gloria publicandi ingenii producat in medium, ut recitare istis vellis, aut disputare. Si haberes isti populo idoneam mercedem, nemo est, qui intelligere te possit: cui ergo inquis, ista didici? non est quod timeas ne operam perdidicisti, si tibi didicisti. *Senec. epist. 7.*

23. Quid est stultius, quam quia diu non didiceris, non discere? omnis aetatis homines schola admittit. Tandem discendum est quamdiu nescias. Si proverbio credis quamdiu vivas, etiam seni discendum est. *Senec. 76. epist.*

24. Mores primum, mox sapientiam disce, quae sine moribus malediscitur. *Ibidem.*

25. Debent homines vaticum senectutis literarum eruditione parare, discendo, ne defecerint insipienti animo: literas, tanquam baculum infirmo corpori reperlitas esse: eundem finem esse discendi, qui et vivendi. *In Prov. Philosophorum.*

Vide etiam in tit. Adjutor Contemplus, num. 1.

in tit. Curiositas, Doctrina, núm. 1, 12, 35, 38, 39, 40, 43, 53, 59. in tit. Sapientia, núm. 8, 9, 21, 24, 39, 40. in tit. Studium, Taciturnitas, núm. 13, 14.

DISCIPLINA.

1. * Disciplinarum usus **extra** Deum infelix, cum Deo non improbat. *Aug. lib. 5. Confess. c. 4.*

2. Cor quod sine disciplina est, exaltari non valet: quia humana mens sicut male elevata in infimis premitur: sic bene pressa in sublimibus levatur. *Greg. lib. 13. moral.*

3. O quam compositum reddit omnem corporis statum, nec non et mentis habitum disciplina! Cervicem submittit, ponit supercilia: componit vultum, ligat oculos, cachinnationes cohibet, moderatur linguam, frænâ gulam, sedat iram, format incessum. *Bern. epist. c. 13.*

4. Jugo disciplinæ insolentia morum domanda est, quousque duris ac divinis seniorum atrita legibus humilietur, et sanetur cervicosa voluntas: bonumque in se naturæ quod superbiendo amiserat, obediendo recipiat. *Bern. super Cant. 1.*

5. Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facilis in Christo manere semper, ac jugiter Deo vivere, ad promissa cœlestia et divina præmia pervenire. *Cypr. epist. 2. de disciplina et habitu vir.*

6. Quamvis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat: diligentibus tamen ibi conservanda est, ubi vel neglecta pluribus generat scandalum, vel custodita bonæ imitationis est exemplum. *Hugo de instit. novi.*

7. * Summopere cavendum est ei, qui quærit scientiam, ut non negligat disciplinam. *Hugo lib. 8. Didasc.*

8. * Principium disciplinæ humilitas, cujus quum multa sint documenta, hæc tria ad auditorem vel lectorem pertinent: primum ut nullam scripturam,

nullam scientiam vilem teneat: secundum, ut à nemine discere erubescat, tertium, ut quum scientiam adeptus fuerit, cæteros non contemnat. *Hugo 1. Didasc.*

9. Qui brevi tempore in pudore disciplinam non patitur, omni tempore in pudore incipientia permanebit. *Pythag. in suis præceptis.*

10. Educatio et disciplina mores facit, et illud sapit unusquisque, quod didicit. *Senec. lib. de mor.*

Vide etiam in tit. Conversatio et Delitiæ, núm. 12.

DISCORDIA.

1. Dissentiones numquam debent amari: sed aliquando tamen aut à charitate nascuntur, aut charitatem probant. Quis enim facile invenitur, qui velit reprehendi? Et ubi est ille sapiens, de quo scriptum est: *Corripe sapientem, et amavit te?* Numquid tamen ideo non debemus reprehendere, et corripere fratrem, ne securus tendat in mortem? *Aug. ep. c. 57.*

2. Nihil minus semper optavi, quam inter eos, qui cum multum dixerint, multumque sermocinati sunt, oriri aliquid unde novus quasi conflictus exurgat. *Aug. contra Academicos.*

3. * In discordia nemo benedicit Dominum. *Aug. in Psalm.*

4. Melius est emigrare cum gratia, quam cohabitare cum discordia: melius est sine lite abire, quam cum jurgio residere. *Ambr. in lib. de Patriarch.*

5. Nulla spatia possunt satis esse discordibus, quietis et pacificis etiam angusta abundant, dissonis moribus etiam spatiosa arctantur. *Ibidem.*

6. Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. *Ambr.*

7. Quisquis corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed non laudet in choro. *Hier. super ep. ad Ro. Laudent nom.*

8. Ubi dissensio est, ubi invidia est, ibi chorus non est. *Ibidem.*

9. Qui modeste alloquitur proximum, gratum ac-

capit responsum: et quasi de uberibus, in quibus lac quærebat, butyrum exprimit. Sed qui incepto verbo rixam et discordiam ex fraterno corde provocat, quasi necessaria ultra modum emungens sanguinem elicit. *Hier. super Prover. 29. Qui vehementer emungit.*

10. Concordia minimæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. *Glos. super illud Eccl. 21. Objurgatio et injuria annullabunt.*

11. Sicut nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis: ita nihil est desiderabilius diabolo, extinctione charitatis. Quisquis ergo seminando jurgia dilectionem proximorum perimit, hosti Dei familiariter servit. *Greg. in pastor.*

12. Per Salomonem dicitur: *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* Aqua propriè dimittitur, quum linguæ fluxus estræatur: sed dimissor aquæ jurgiorum caput efficitur: quia per linguæ incontinentiam discordiæ origo propinatur. *Greg. 4. moral.*

13. Discordes tandem nullum boni operis sacrificium Deo immolant, quamdiu à proximorum charitate discordant. *Greg. in past.*

14. Perversæ mentes si semel ad studium contrarietatis eruperint, sive pravum, sive reclusum quid à contradicentibus audiant, adversis hoc responsum impugnant: quia quum persona per contrarietatem displicet, nec recta, quæ protulerit placent. At contra bonorum corda quibus in odium non venit persona, sed culpa, sic perversa dijudicant, ut recta quæ dicuntur assumant, et sic male prolata respuunt: ut tamen approbent, quæ ex veritate cognoscunt. *Greg. lib. 9. moral.*

15. Discordia est aliquorum diversio, quos prius amoris vinculum colligavit. Concordia est convenientium in reclusione animorum indrupta quædam et unita complexio. Seditiosus est, qui dissensionem animarum facit, et discordias gignit. *Isid. Etym.*

16. Conspiratio apud spiritualiter viventes, contra ordinis disciplinam, et majorum instituta, confœderatio est. *Cass. super Psalm.*

17. Summopere jurgia fuge, nam contra parem contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum

inferiore sordidum, maximè autem contra fatuum conventionem inire: nam absentem lædit, qui cum ebrio litigat. *Ibidem.*

18. Principium discordiæ est, aliquid commune suum facere. Turpius nihil est, quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 27, 42. in tit. Doctrina, núm. 1, 12. in tit. Jejunium, núm. 32. in tit. Loquacitas, núm. 8. in tit. Pax, Reconciliatio, núm. 3, 7. in tit. Testimonium, núm. 3.

DISCRETIO.

1. Ex studio arcus distenditur, ut in suo tempore cum utilitate tendatur: qui si otium relaxationis non accipit, faciendi virtutem ipso usu tensionis perdit. Sic aliquando in exercitatione, virtus, quum per discretionem prætermittitur, reservatur, ut tanto post vitia valenter ferat, quanto à percussione interim prudenter cessat. *Greg. 29. moral.*

2. Plerumque virtus quum indiscrete tenetur, amittitur: quum discrete intermittitur, plus tenetur. *Greg. ibid.*

3. Sanctorum provida discretio, dum sollicite circumquaque conspiciat, in altum posita prius quam veniat, culpam deprehendit, eamque quo vigilanter prænotat, eo fortiter declinat. *Greg. 21. moral.*

4. Sæpe dum nosmetipsos plus justo discutimus, de ipso discretionis studio indiscretius erramus, et mentis nostræ acies quo plus cernere nititur, eo densius obscuratur: quia qui importune Solis radios aspiciat, tenebrescit. *Ibidem.*

5. Ubi virtus discretionis perditur, intentio, quæ virtutis inimicum habet, criminis finem accipit. *Greg. 5. moral.*

6. Medii quidem incedere debemus inter nimium timidus, et nimium temerarios: ut simus quidem vercundiores his, qui ad indebitos honores fœda ambitione nituntur: et paulo confidentiores his, qui su-

turi iudicii metu etiam bonorum actuum cuncta fugiunt. *Greg. Nazianzen. in apocal.*

7. In cunctis nobis semper debet præesse discretio: et quasi moderando singulas discernere voluntates ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne quod bonum est, malum, ne quod malum est, bonum esse credatur. *Bern. super Cant. serm. 24.*

8. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem et perpetuitatem confert. Est ergo discretio non tam virtus, quam quaedam moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, et doctrix morum. Tolle hanc, et virtus vitium erit: ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ. *Bern. super Cant.*

9. Tutius est chordas remitti intensius, quam protendi: remissarum namque intensio artificis peritia convalescit: sed quæ semel rupta est, nullo artificio reparatur. *Chrys. de cur. alienæ magis.*

10. Quicquid boni cum discretione feceris, virtus est: quicquid sine discretione gesseris, vitium est. Virtus enim indiscreta pro vitio deputatur. *Isid. in lib. de synon.*

11. Discretio est in dijudicandis rerum causis provida, et humanarum mentium ratio moderatrix. *Isid. in synonymis.*

12. Ratio est gerendorum ordo ex causa venientium, ut quid, quo loco facias ac dicas, intelligas. *Ibid.*

13. Omni conatu debet discretionis bonum virtute humilitatis acquiri: quæ nos illætos ab utraque potest nimietate servare. Vetus namque sententia est: Apogyca Isogyca, id est, nimietates æquales sunt. Ad unum enim finem nimietas jejunii, ac voracitas pervenit, eodemque dispendio vigiliarum immoderata continuatio monachum, quo somni gravissimi torpor involvit. Nam per excessum continentia debilitatum quemque ad illum statum revocari necesse est, in quo negligens quisque per incuriam detinetur. *In collat. abbatis Moys. 2.*

14. In utraque enim parte sustinebit maximum detrimentum quisquis inæqualitatem tenens, nunc ventrem jejuniorum ariditate constringit, nunc escarum nimietate distendit. Ut enim mens cibi inanitate laxata, perdit orationum vigorem, dum carnis nimia laxitudine prægravata condormitare compellitur: ita rursus nimietate voracitatis oppressa emillere ad Deum preces puras levesque non poterit. *Ibidem.*

15. Cunctam disciplinam regularis ordinis moderetur æqualitas discretionis, ne vel nimia remissio nutritiva sit criminum, vel impia discretio parricida virtutum. *Pet. Rav. in quodam serm.*

16. Discretio virtutibus modum imponit, sine qua virtutes sunt vitia, nam si adsit timor et non discretio, transit in desperationem: si dolor, in amaritudinem: si amor, in adulationem: si spes, in præsumptionem: si lætitia, in dissolutionem: si ira, in furorē. *Ibidem.*

17. Ad rem gerendam quæ accidit, caveat ne id solummodo consideret, quod illa res honesta sit: sed etiam ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipso considerandum est, ne aut temere despicias propter ignaviam, aut nimis confidas propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis prius quam aggrediare adhibenda est discretio. Considera ergo ne nimis cupias: nam in proverbio dicitur: qui nimis cupit, parum stringit. Et partiendum est opus sub quo in via non deficias, juxta illud: Qui plus posse putat sua, quam natura ministrat, posse suum superans se minus esse potest. *Anony.*

Vide etiam in tit. Caro, nûm. 6. in tit. Correctio, nûm. 13, 47, 80. in tit. Dilectio, nûm. 5. in tit. Humilitas, nûm. 10, 44. in tit. Loquacitas, nûm. 7, 11. in tit. Prudentia, per totum.

DIVITIE.

1. Divitiæ sæculares si desunt, non per mala opera quarantur in mundo: si autem adsunt, per bona ope-

ra servantur in cælo. Animum virilem et Christianum nec debent, si accedant, extollere, nec debent frangere, si recedant. *Aug. epist. 140.*

2. Veræ illæ sunt divitiæ, quas cum habuerimus, perdere non possumus. *Aug. super Matth.*

3. Morbus divitiarum, est superbia, nam grandis animus est, qui inter divitias isto morbo non tentatur, major animus divitias suas vincens contemnendo. Magnus est ergo dives, qui non se ideo magnum putat, quia dives est. Superbus, qui et egenus est, in carne crepat, in corde mendicat, inflatus est, non plenus. *Aug. serm. 29.*

4. Difficile est, ut non sit superbus, qui dives est. Tolle superbiam, divitiæ non nocebunt. *Ibidem.*

5. Aurum est materia laborum, periculum possidentium, aurum enervatio virtutum, aurum malus dominus, proditor servus. *Aug. in verb. Dom.*

6. Aurum amplius cruciat, apud quem largius fuerit: aurum amanti se nihil de sua possessione permittit, refundens ei reatum suum, cui visum negat. *Aug. ibid.*

7. Ideo rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris. *Aug. in hom. de divite.*

8. Hoc attendite ne passim divites reprehendatis, et rursus ne de paupertate et egestate præsumatis. Si enim non est præsumendum de divitiis: quanto magis non est præsumendum de paupertate? pauper ulcerosus non habens escam, non ipsam vestem, ablatum est ab Angelo in sinum Abrahamæ. Vides quis sublatus est, non vides quò sublatus est in sinum Abrahamæ, lege scripturam, et invenies divitem Abrahamam. Sublatus est ergo in sinum divitis pauper, an potius ambo divites Deo, ambo à cupiditate pauperes? *Aug. in origi. super Psal. 51.*

9. Divitiæ si affluent, nolite cor adponere. Ille igitur, qui non habet, non ambiat, is qui habet, non superbiat: et non dicit, nolite habere, sed cor adponere. Non enim damnat divitias, unde mereamur

cælum, sed cor appositum, quod scilicet non expendit, sed recondit. *Glo. Aug. super Psalm. 61.*

10. Non divisim, non separatim tempore messis hoc faciet: divites intellige superbos, pauperes humiles: habeat quis multas pecuniarum facultates, si in eis non extollitur, pauper est: non habeat aliquid, et cupiat, et insuletur: inter divites reprobos eum deputat dominus, quia divites et pauperes in corde interrogat Deus, non in arca aut in domo. *Glo. Aug. super illud Psalm. 68.*

11. Sufficientiam vitæ non indecenter vult, quisque eam vult, et non amplius, quæ quidem non appetitur propter seipsam, sed propter salutem corporis et congruentem habitum personæ hominis, ut non inconveniens eis, cum quibus vivendum est. Ista ergo quum habentur, ut teneantur, quum non habentur, ut habeantur, orandum est. *Aug. ad Probam.*

12. * Divitiarum morbus superbia est: nam grandis animus est, qui inter divitias isto morbo non tenetur. *Aug. serm. 24.*

13. * Difficile est ut non sit superbus dives: tolle superbiam, et non nocebunt divitiæ. *Ibidem.*

14. Divites discant, non in facultatibus crimen haberi, sed in his, qui uti nesciunt: nam divitiæ ut impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis. *Ambr. super Luc. lib. 8.*

15. Cæterum ita incubuerunt mores hominum in adulatione divitiarum, ut nemo nisi dives honore putetur dignus. *Ambr. de offic.*

16. Qui divitiarum servus est, divitias custodit ut servus: qui autem servitutis discussit jugum, distribuit eas ut dominus. *Hier. lib. 1. super ill. Matth. Non potestis, etc.*

17. Unumquodque non hominum, sed rerum pondere judicandum est: nec diviti obsunt opes si bene utatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit. *Hier. in epist. ad Salvi.*

18. Solæ divitiæ veræ sunt, quæ nos virtutibus divites efficiunt. Si ergo fratres divites esse cupitis,

veras divitias amate. Si culmen veri honoris quæritis ad cœleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia adscribi festinate. *Greg. ho. super illud Exiit qui seminavit.*

19. Facile est homini tunc divitias despiciere, cum habet: difficile vero, quum non habet, viles æstimare. *Greg. 11. moral.*

20. Terrena substantia æternæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita. *Greg. in hom.*

21. Res suas, cum moreretur dives, secum tolleret, si ad petentis vocem cum viveret tulisset: nam terrena omnia, quæ servando amittimus, largiendo servamus. *Ibidem.*

22. Forsitan aliquam excusationem habuisset, si ad portam ejus non jacuisset, si remotus fuisset, et ulcera ejus non cognovisset. *Bern. lib. de consid.*

23. Aurum et argentum, et cætera hujusmodi quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala: usus tamen horum bonus, abusus mala, solitudo peior, quæstus turpior. *Bern. serm. 4.*

24. Filii Adam gerus avarum, quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum et argentum verè terra est rubea et alba, quam solus error hominum facit, aut magis reputat pretiosa: denique si vestra sunt, tollite ea vobiscum. *Bern. ibid.*

25. Veræ ergo divitiæ, non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. *Bern. in serm.*

26. Camelus unum solum pondus habet, dives duo: Unum terrenarum possessionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponitur, aliud velit nolit, moriens retinet, nisi ante mortem deponat. *Ibidem.*

27. Sudat pauper foris in opere, sed numquid anxie dives intus in sua cogitatione laborat? Aperit iste os suum in oscitatione, aperit ille in ructuatione, et interdum gravius ille fastidio, quam iste inedia cruciatur. *Ibidem.*

28. Divitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor injustus, arrogantia superba, omnisque irrationabilis molus. *Chrys. in lib. quod memo laeditur nisi à seipso.*

29. Si possibile esset in divites vindicta procedere, videres ex eis repleti carceres universos. Sed cum omnibus malis suis hoc malum habent divitiæ, quod in malignitate peccantes ab ultionibus eruunt. *Chrys. super ap. ad Heb. serm. 2.*

30. Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, etc. Hunc versiculum si saperent, qui in potentia et divitiis versantur, in parietibus omnibus, et in vestibus suis scriberent, in foro, in domo, in januis et ingressibus, et ante omnia in conscientiis suis, ut semper eum oculis cernerent et in corde sentirent. *Chrys. super Matth. homil. 50.*

31. Omnia bona mundi triplex interitus tollit, aut ex seipsis veterascunt, aut luxu dominorum suorum consumuntur, aut ab extraneis dolo vel violentia, vel calumnia diripiuntur. *Chrys. super illud Matth. 6. Ubi ærugo et tinea, etc.*

32. Apud antiquos autem prior æris, quam ferri cognitus usus, ære quippe prius proscindebant terram, ære certamina belli gerebant, eratque in pretio magis, aurum vero et argentum propter inutilitatem rejiciebantur: nunc versa vice jacet æs, aurum summo cessit honore. Sic voluenda ætas commutat tempora rerum, et quod fuit in pretio, sub honore est denique nullo. *Isid. lib. 6. etymol.*

33. Omne terrenum vel æruginè consumitur, ut aurum et argentum: vel putredine et vermibus ut vestis: et quod ab his immune est, à furibus tollitur, ut lapides pretiosi. In his ergo omne genus avaritiæ reprehenditur. *Rab. super Matth. 6. Ubi ærugo et tinea, etc.*

34. Magnæ dignitatis fuit apud sæculum, sed majoris meriti apud Deum: quia non erat dives divitiarum amore, sed tantummodo possessione. Ideo divites non excludantur à discipulatu Salvatoris. Iste

enim dives erat, et discipulus: quia non pecuniæ amator, sed ipsius distributor. *Rab. super illud Matth. 28. Homo quidam dives ab Arimat.*

35. Non reprehenditur dives, quod terram coluerit, vel fructus in horrea congregaverit, sed quod fiduciam vitæ in illis posuerit, nec pauperibus erogaverit, ut ab eis reciperetur in æternis tabernaculis. *Beda in gl. super illud Luc. 2. Cujusdam divitis, etc.*

36. Familiaris res est humanum cor opibus ac libertate dissolvi, ærumnis vero ac paupertate ad semetipsum recolligi. *Beda super Esd. lib. 1.*

37. Insidiæ sunt in divitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis, illæ elevat ad superbiam, hæc incitant ad querelam. Tractat sanitas, tentat infirmitas, et illa materia est negligentia, et hæc causa tristitiæ, laqueus est in securitate, laqueus in timore, nec interest utrum animus, qui terreno tenetur affectu gaudiis occupetur, an curis: cum par morbus sit, vel sub vana delectatione languere, vel sub anxia solitudine laborare. *Leo papa in serm.*

38. Auri custos, servator argenti securitatem non habet, nescit quietem: et cui deest securitas, quies perit. Pœna dives est ille, non censu. *Pet. Rav. in quodam serm.*

39. Aurum erogare, bonum est: reponere, malum: contemnere, validum: fugere, persecutum: quod sicut vincere virtutis est, ita felicitatis evasisse. *Ibid.*

40. Obturatis auribus nihil esset vox unius clamantis. Unde Dominus ad aperiendum cor ejus totum corpus ejus ulceribus cooperuit, ut tot essent ora clamantia, quot ulcera existentia. *Pet. Rav. in ser. de divit.*

41. Nihil tibi prosunt divitiæ, si divitiarum beneficiis non utaris: nam pars mendicitatis est, congestam secreto pecuniam possidere. *Val. epist. in ser.*

42. Nihil clausum constat, quod auro argentoque non pateat: nihil occultum, quod non pecunia indagante sit cognitum. *Val. Episc. ibid.*

43. Si possibile esset in divites vindictam proce-

dere, videres ex eis repleti carceres universos, sed cum omnibus malis suis hoc unum malum habent divitiæ, quod in malignitate peccantes ab ultionibus eruunt. *Val. in epist. ad Hebr.*

44. Dives in superfluitate resolvitur, et jactantia effrænatur, currit ad libitum, et corrumpit ad illicitum, et fiunt instrumenta pœnarum, quæ fuerant oblectamenta culparum. Labor in acquirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo, mentem ejus semper fastigat, sollicitat et affligit: ubi est thesaurus suus, ibi et cor suum. *Innoc. de vil. cond. hum.*

45. Dives dicitur à Divo, qui quasi Deus, nihil creditur indigere. *Hugo.*

46. Divitiæ quantis implicitæ sint malis, brevissime monstrabo. Quid enim pecuniam ne congreges, conaberis, si eripias habenti? dignitatibus fulgere volens, danli supplicabis: et qui præire cæteros cupis, poscendi humilitate vilesces. Potentiam desideras, subjectorum insidiis obnoxius, periculis subiacebis. Gloriam petis, sed per aspera quæque distractus securus esse desis. Voluptuariam vitam degas: sed quis non spernat atque abjiciat vilissimæ fragilissimæque rei corporis servum esse? *Boet. 4. de consol.*

47. Congeratur in te quicquid multi locupleles possederant, ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro legat, purpura vestiat, et ad hoc modus deliciarum opum te perducatur, ut terram marmoribus abscondas, non tantum tibi habere liceat, sed calcare divitias. Accedant statuae, picturæ: et quicquid ars illa luxuriæ elaboravit, majora cupere ab his disces. *Senec. 16. epist.*

48. Quid refert quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, si alieno inhiet, si non quæsita, sed quærenda computat? Non enim pauper est, qui minus habet, sed qui plus cupit: nec qui plus habet, sed qui minus cupit, dives est. *Senec. ibid.*

49. Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, miser est: qui autem sibi satis est, cum divitiis natus est. *Senec. in epist.*

50. Nemo alius est Deo dignus quam qui opes contempsit: quarum possessionem tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepide possideas. *Senec. 18. epist.*

51. Brevissima ad divitias per contemptam divitiarum via est: quisquis contemnere potest omnia, habere omnia nemo potest. Necessarium est ergo parvo assuescere. Quicquid vult, nemo habere potest. Illud autem potest nolle, quod non habet. *Sen. 65. ep.*

52. Quemadmodum nihil refert utrum agrum in ligneo lecto aut in aureo colloces: in quocumque illum transtuleris, morbum suum transferet secum. Sic nihil refert utrum aeger animus in divitiis, aut paupertate ponatur, malum suum illum sequitur. *Senec. 18. ep.*

53. Nemo nascitur dives: quisquis exit in lucem, jussus est lacte et pane esse contentus, ab his initiis nobis regna non sufficiunt. *Senec. 20. epist.*

54. Quanta dementia hæredis sui res procurare et sibi omnia negare. Maga enim hæreditas ex amico inimicum facit: plus enim gaudebit tua morte, quo plus accepit. *Ibidem.*

55. Magnus qui fictilibus sic utitur, quemadmodum argento: nec ille minor est, qui sic argento utitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi animi est, pati non posse divitias. *Senec. 5. epist.*

56. Si ad naturam vivas numquam eris pauper, si ad opiniones numquam eris dives. Exiguam natura desiderat, opinio immensum. *Senec. 16. epist.*

57. Iste quem dominum existimas, pecuniæ locuples est: multum habet, ignoras utrum avarus, an dives sit. Si prodigus, non habebit: si avarus, non habet. Iste, quem tu felicem admirans credis, sæpè dolet, sæpè suspirat: multi illum comitantur, mel muscæ sequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ: prædam sequitur ista turba, non hominem. *Sen. de rem. fort.*

58. Si vis inquit Pithoeles, divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est. *Senec. ibid.*

59. Is maxime divitiis fruitur, qui minime divi-

tiis indiget: nemo autem solido bono fruitur, qui aliquid intendit adjicere, et dum de incremento cogitat, oblitus est usus. *Senec. 14. epist.*

60. Divitem illum putas, quem aurea supellex in via sequitur, qui in omnibus provinciis arat, qui multum suburbanus agri possidet, quum omnia dixeris, pauper est: quare? quia debet: quantum inquis? omnia: nisi forte tu dicas, utrum ab homine, an à fortuna mutuum sumpserit. *Senec. 28. epist.*

61. Divitiæ inflant animos, superbiam pariunt, invidiam parant, et eò usque mentem alienant, ut fama pecuniæ, nos etiam nocitura delectent. *Ibidem.*

62. Ingenlis animi est, qui divitias sibi circumfusas diu multumque miratus, quod ad se venerunt, ridet: suas magis audit esse, quam sentiat. Magnum est non corrumpi divitiarum contubernio: magnus ille est, qui in divitiis pauper est. *Senec. 29. epist.*

63. In hoc excusabiles sunt Dii, quod ista, quæ urunt, quæ excruciant, optantibus conferunt. *Senec. 22. epist.*

64. Ista, quæ sic pelimus, tanquam data lætiam ac voluptatem, causæ dolorum sunt. *Sen. 60. ep.*

65. Omnia ista nobis accedant, non hæreant, ut si auferantur, sine ulla nostri laceratione discedant. Utamur illis, non gloriemur, et utamur parce tanquam depositis apud nos. *Senec. 8. epist.*

66. * Primus divitiarum modus est, habere quod necesse est: proximus, quod sal est. *Senec. epist. 2.*

67. * Sapiens non amat divitias, sed mavult: nec respuit possessas divitias, sed contemnit.

68. * Divitiæ apud sapientem virum in servitute sunt: apud stultum, in imperio: sapiens divitiis nihil permittit, nobis divitiæ omnia. *Senec. epist. 13.*

69. * Nihil est tam angusti animi, tanquam missi, quam amare divitias: nihil honestius magnificentiusque quam pecunias contemnere, si non habeas: si habeas ad beneficentiam libertatemque conferre. *Cic. 1. Offic.*

70. * Omnes sunt divites (dicunt Stoici) qui cœle et terra frui possunt. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Abſtinentia, núm. 4. in tit. Am-
bitio, núm. 25. in tit. Amicitia, núm. 73. in tit. Ani-
ma, núm. 40. in tit. Avaritia, núm. 27, 37, 39, 47,
54, 71, 74. in tit. Beatitude, núm. 16, 22. in tit.
Bonum, núm. 3. in tit. Contemplus, núm. 5, 11, 14,
16. in tit. Cupiditas, et Eleemosyna, núm. 11, 33,
37, 38, 43. in tit. Gloria vana, núm. 26, 33. in tit.
Homo, núm. 31. in tit. Honor, núm. 16. in tit. Laus,
núm. 10. in tit. Paupertas et Proditio, núm. 1, 20.
in tit. Prosperitas et Relinquere, núm. 12. in tit. Sa-
lus, núm. 3. in tit. Sapientia, núm. 22. in tit. Ser-
vitium, núm. 14. in tit. Superbia, núm. 7, 10. in tit.
Veritas, núm. 30. in tit. Virtus, núm. 31, 33.

DOCTRINA SIVE DOCTOR.

1. Debet divinarum ſcripturarum Doctor fidei, ac
debellator erroris, et bona docere, et mala dedoce-
re, et hoc opere et ſermone conciliare adverſos, re-
miſſos erigere, nſcientibus, quid expectare debeant,
intimare. *Aug. de doctrina Chriſtiana.*
2. Doctor et ductor id agere debet, ut non ſo-
lum intelligenter, verum et libenter et obedienter
audiatur. *Aug. ibid.*
3. Omnis res, quæ dando non deficit, dum ha-
betur, et non datur, nondum habetur, quomodo ha-
benda eſt. *Ibidem.*
4. Sicut gratus eſt, qui cognoscenda enubilat, ſic
et onerosus, qui cognita inculcat: nam delectandi
gratia etiam nota dicuntur: ubi non ipſa, ſed mo-
dus, quomodo dicuntur, attenditur. *Aug. lib. 3. de doc-
trina Chriſtiana.*
5. Doctrina per malos, palmes in ſepe, botrus
inter ſpinas: cauté lege, ne dum quæris fructum,
laceres manum, et quum audis bona dicentem, ne
imiteris mala facientem. *Aug. ſuper Joan.*
6. Si me poſſes docere, quod nescio, non ſolum
te verbis, ſed et pugnīs cædentem deberem patien-
tiſſime ſuſtinere. *Aug. ibid.*

7. * Falsa doctrina eſt lepra mentis. *Aug. de ver.
Ap. ſerm. 2.*

8. *Da, et accipe, et juſtifica animam tuam*, id eſt,
verbum doctrinæ proximis impende, et honorum ope-
rum exempla relinque, ut recipias premium vitæ æter-
næ. Tibia et pſalterium ſuavem facient melodiam, et
ſuper utraque lingua ſuavis. *Aug. Eccl. 40. glo.*

9. Hæc naturaliter mulcent, et exhilarant animam,
ſed lingua ſuaviter docens plus confortat intellectum.
Ambr. ſuper Beati immaculati.

10. Ante vita, quam doctrina quærenda eſt. Vita
bona, ſine doctrina gratiam habet: doctrina ſine vita
integritatem non habet. *Glo. ſuper illud 1.*

11. Perfectio diſcipulorum gaudium et corona eſt
magiſtrorum: fructus enim magiſtri obediencia eſt
diſcipuli: et ejus bona converſatio coronam dat ma-
giſtro. *Theſſa. 2. Quæ noſtra ſpes, aut gaudium etc.*

12. Qui congrua diſciplina unumquemque arguit,
eruditum ſe, et probabilem doctorem in conſpectu
omnium oſtendit, nec ætas juvenilis in doctore de-
ſpicienda, quem vita et discretio commendat. *Gloſſ.
ſuper ill. Eccles. 42. Sis de ſenioribus, etc.*

13. Multi juxta vetus elogium, cum loqui nesciant,
tacere non poſſunt: docentque ſcripturas, quas non
intelligunt: et quum alii perſuaserint, eruditorum ſibi
aſſumunt ſupercilium, prius imperitorum magiſtri,
quam doctorum diſcipuli. *Hier. ad Demetr. virg.*

14. Tanto quiſque minus oſtenditur doctus, quan-
to minus patiens: neque enim poteſt veraciter bona
docendo impendere, ſi vivendo nescit adverſa æquan-
nimitè tolerare. Perfecti enim doctoris eſt, ſic alio-
rum improbitatem patienter ſufferre, ut ſe noverit ab
iniquis patienter obſervare. Neque enim propria mun-
ditiæ ſine tolerantia ſufficit, neque tolerantia ſine
munditiæ valet. *Greg. ſuper illud Prov. 25. Doc-
trina viri.*

15. Si ſubditi aliquid peccant, propter quod doc-
tores à quiete ſurgere cogantur, non tantum pœnam
illius peccati incurrunt, ſed etiam puniuntur pro in-